



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institutio S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XXIX. Respondet infans velle se vocari Ignatium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

primo. Hanc, ait, Pater sanctissime Itane? & pro recitato semel! Pater, & Ave, tantum mihi abs te gratia ac boni? ad qua Ignatius, fili mi, intulit, paruo contentus sum, & sereno intuitu, miraque beneuolo dignatus, videri desit: atque hinc Alfonso humi prouolutus gaudens, & lacrimans noctis reliquum exigit. Mane aduolat ad Rectorem, postulationes damnat stultas, & fatuas, quibus tam proterue Societatem fatigasset, quas deinde poenis vlroneis grauibus eluere sategit, quoties vero in posterum, obiecta species, & S. Ignatij verba in mentem redirent, toties in lacrymas totus soluebatur.

Ioanni Parentio Mutinensi, annorum duodecim, puero, cruenta excretionis labor, tabida febris, & medicaminum diuturnus, biduum vitæ reliquerant, vt quidem medici diuinabant, credebaturque quantocyus animam acturus, cum à patruo suo Societatis Sacerdote inuisitur, doceturque votum Ignatio ad seruandam vitam nuncupare. Ille, promitto, inquit, Beate Ignati, si per te incolumis euasero, & Deo placuerit mentem religiosæ vitæ mihi iniicere, me Societatem initutum. Interea Romam ad sepulchrum tuum, beneficij monumentum ex argento missurum. Verborum hic fuit, & mali finis. Moritur febris, redit corpori vigor, surgit paulò post cum sodalibus pueris lusus. Eidem cum triennio post cœnanti spina faucibus transuersa intercluderet animam, mater intuens singultantem, remedio quo nullum habebat præsentius succurrit. Fauces signat reliquiis S. Ignatij, adolescens mente Ignatium inuocat, moxque gestiens exclamat mater, spinam S. Ignatius, & periculum abstulit, & abstulerat reuera, nec enim aut illam eiecerat, aut deglutierat iuuenis, reperiri tamen diligenter quæsitæ non potuit.

Campi Gaiani rustica puella in agro Mutinensi, primum phrenitide, post mente quoque omnino capta est, atque vbi furor eam inuaderet, egebat custodia diligenti, ne manus aut sibi, aut aliis inferret. Huius vicem dolens Mutinensis Matrona, vsaque prudenter interuallo, quo mali accessus resederat, hortatur, vt semel quotidie oratione Christi, & Virginis salutatione S. Ignatij merita veneretur, seque ad hoc præstandum quamdiu viueret, voto apud Deum obstringat: vouet illa, seu mater potius præstituram se votum pro illa suscipit; demum à matrona reliquiis S. Ignatij signata ita conualefcit, vt nihil exinde phreneseos, aut emotæ mentis prætulerit.

Gaspar Marefcianus, Catanzari pauperum patronus, duobus filiis tutelarium ciuitatis indiderat nomina, Fortunati, & Vitaliani; tertio, si hunc susciperet, nomen seruabat Irenei; inter vrbis præsides tertij. Cum autem vxore partui vicina è nostris adiutor fortè domum intrasset, illa tertium hunc partum ei plurimum commendauit, vt felicem à Deo impetraret. Frater preces modestè pollicitus, significauit S. Ignatium in fortunandis partibus esse mirabilem, illum inuocaret, sponderetque se, si foret masculus Ignatij nomine dicturum, nisi quid fecus forsitan decreuisset. Promittit paritque feliciter, & ex promissi fide infantem vocat Ignatium; pater

G G g flocci

XXVII.

Febri tabidus sanatur.

XXVIII.

Stulta, menti restituta.

XXIX.

Respondet infans velle se vocari Ignatium.

flocci pendens promissum coniugis, appellat Ireneum, lis inter eos longa, & pertinax, isto pietati pugnante erga præsidem urbis sanctum; illa promissa in S. Ignatium fidei, neutro mutuis precibus, aut rationibus, inuicem concedente, ac ne conueniente quidem in vnam gemini nominis impositionem, cum in ea vterque primo loco sanctum suum vellet nominari. Tandem igitur ad hoc deuenitur, iocone, an maiore instinctu dubium; infans ipse litem decideret. Quare ad eum pater, nunc demum fili mi! dicit, ait, qui velis vocari, nondum verba conari pusio cœperat, nec cœpit nisi post aliquot menses, mox tamen patri distinctè respondit *Ignatius*, ita litem pro matre, & S. Ignatio diremit.

XXX.

*Morbūm S.
Ignatij ima-
gine sana-
tur.*

Ferdinandum Pratellum de Mendoza, Marchionatus Lombaiensis administratorem, ducis Gandiæ quædam negotia Vallissoletum euocarant anno 1603. illic pestilens febris eum lecto affligit, quam fore lethalem archiatri ex eo statim augurantur, quod purgatione iam triplici nihil remitteret, & ei demandæ fracta viribus natura non esset. Sacro erat viatico, & oleo munitus, iamque triduum cibi expertus, stupidus, & semimortuus iacebat; cum ad eum defertur S. Ignatij imago, vitæ exorandæ, an ad mortem parandæ haud scio: certum eius aspectu quicquid supererat animæ in precem collegisse, qua ingenti affectu sanitatem ab eo petit, & eius illic pignus tulit; nam placidissimo captus somno post horas aliquot cibum sumpsit, confanuitque tam integrè ac robustè, vt post quintum diem, iter repereret, & sæua hieme per montes, Vallissoleto Valentiam, nouem dierum spatio perueniret.

XXXI.

*Mamilla do-
lor repente
sanatur.*

Ioannam Pignatelliam ducem terræ nouæ, Caroli Aragonæ, ducis Castriuetrani viduam, cruciabat periculosus mamillæ tumor; exhibat iam mensium quatuor exquisita, sed inanis, & cassâ curatio, nec detumescibat, nec mollicebatur, & eò increuerat, vt ad quemlibet motum discerpi sibi viscera crederet. Humani ergo inops præsidij, diuinum ab S. Ignatio requirit, eius à matre Hieronyma Columna effigiem accipit, eius auxilium flagitat, & ecce illo ipso quo id egerat die mamillæ tumor, durities, dolor, penitus euanescent.

XXXII.

*Puella lemuru-
rum infesta-
tione libera-
tur.*

Vincentio Callo tormentorum muralium Melitæ libratori, filia erat circiter nouennis. Huic mense integro ludos in somnis faciebant miri promissores, magnâque illi spondebant diuitias. Quod illa postridiè narrabat parentibus, & promittentium habitum, ac lineamenta seorsum singulorum (erant enim iidem perpetuo) describebat; cœpere exinde post illum mensum, interdum quoque ab ea videri, vnus primum, post duo, dein multi simul, & in iis etiam femina, quos probè illos esse meminerat, qui sibi toties in somnis adstiterant, & suo quisque nomine notabantur Ioannis, Bernardi, & similium; iis item quibus antea promissis lætabant simplicem; fore illam, si modo annueret Melitæ totius ditissimam, prouehendam in summos honores eius familiam; habere se desertis in templis auricopiam, & gemmarum; hæc illi ab se omnia seruari: Præter Spem (erat puella